



Sigismundus filius fuit Friderici Archiducis Au-
 striæ ex Anna Brunsvicensi prognatus. Eum
 parentes in omni generis uirtutibus optimè edu-
 carunt. Itaq; post patris obitum, ei in ditissimo Ty-
 rolenfi comitatu & cæteris ditioribus quæ post
 cladem Sempacensem, & patris ab Imperio tem-
 pore Concilij Constãtienti prosc̃riptionem super-
 fuerant, successit, præsertim in locis quibusdã Sue-
 uia, Heluetiæ, Sundgouia & Alsatiæ. Is inter ini-
 tia gubernationis nihil antiquius habuit, quam ut
 ea quæ pater in Heluetijs ex prosc̃riptione Sigis-
 mundi Cæsaris ob abductum p̃ntificem Ioannem
 23 ex Constantiensi Concilio amiserat, armis, cum

iure nequiret, recuperaret. Cũ in ea expeditione esset, atq; interim Heluetio-
 rum confœderati magno animo eum excipere statuerent, ita ut ingēs bellum
 ob utriusq; partis apparatus instare uideretur, interpellantibus Ludouico
 Rheni Palatino, & Rodolpho Marchione Hochpergensis totum illud nego-
 tium componitur. Postea cum Ladislaus rex patruelis esset mortuus, atq; Fri-
 dericus Cæsar & eius frater Albertus, Ernesti patruis filij, hæreditatem adire
 statuisent, atq; ideo cruentum bellum cœpissent, Sigismundus tanquam hæ-
 reditatis particeps sese huic bello miscuit. Sed inter initia ijs reconciliatus, ac-
 cepta tertia parte thesauri Austriaci (quem hi tres principes in arce Vuien-
 nensi diuiserunt) ac superiori Carinthiæ parte, quam Palatinatum uocabant,
 Alberti partes deseruit, ac Friderico patrueli pacem dedit, anno millesimo
 quadringentesimo sexagesimo.